



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 1. Quænam horum beatitudo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

VERSUS 11.

*Beati estis, cum maledixerint vobis,
& persecuti vos fuerint, & dixe-
rint omne malum aduersum vos,
mentientes propter me. 12. Gaude-
te & exultate, quia merces vestra
copiosa est in calis.*

QVÆSTIO I.

Quenam horum beatitudo?

§. 1. **P**ARS est grauissima persecutionis calumnia contra innocentes. Calumnia enim conturbat sapientem. Quis enim dubitet S. Athanasio grauiore fuisse criminationes, quam exilia? Singulari igitur modo contra calumniatores, falsarios, & improbos accusatores muniendi erant Apostoli eorumque successores. Ideo non modo regnum celorum, sed in eo copiosam mercedem pollicetur, morte etenim grauius est, premi calumnijs.

§. 2. Calumniarum virus semper ante effuderunt persecutores, antequam sæuirent, vt iustas habere causas viderentur. ita Nero cum vibem ipse incendisset, subdidit reos, nempe Christianos. Et nunc quoque videmus optimos quosque ab scelerarijs crudelissimè prosciendi. Magno hoc solatio nostræ Societati est, cum præ omnibus hominibus se infidelibus exosam animaduertit, cum in se omnium seditionum, bellorum causas conferri, cum à perduellibus, & augustinæ maiestatis læsæ reus accusatur regicidiorum, cum tanta omnia, atque infanda illi imponuntur, sed ab ijs, qui ambitione victi barbaræ Turcarum genti patriam mancipare cogitarunt. Suis illa alumnis dicit: *Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in calis.* Olim visitatum fuit, vt de martyribus omnia verba mala dicerentur, quæ tamen miraculis aliquando Deus confutauit. Illustre est exemplum S. Blandinæ Euf. lib. 5. cap. i. cum enim illa inter cruciatus diceret: apud nos nihil admittitur scelus, dolores intermittebant. Fere enim Deus etiam in hac mortali vita sanctos suos famæ restituit. Quæmadmodum & hisce diebus euulgata Cancellaria Anhaltina omnium Catholicorum innocentia ita probata est, vt in omnem æternitatem fidem habitura sit, aduersarijs vero nemo crediturus.

QVÆSTIO II.

An merces copiosa merito respondeat?

§. 1. Mercedem non definit, vel modo, vel magnitudine, vel certe genere ipso, sed magnam fore pollicetur. Magnam in celis, terra enim puncti instar, non est tante magnitudinis capax. Mercedem ait seruati in futurum. Impij enim sunt, qui ita loquuntur apud D. Chrysost. δὲς μοι τὴν ἀμείνον, καὶ λαβὲ τὴν ἀνεύχον. Mibi hodiernam diem concede, crastinam tibi habeto.

§. 2. De operum mercede, licet non sine calumnia in orthodoxos, non omnino male hoc loco Wolffgangus Musculus. [Primum nemo pius, inquit, negat, esse mercedem bonis operibus, & patientiæ ac sinceritati Christianæ repositam in celis. Nā de hac multi sunt scripturæ loci, è quibus hic vnus est. Quibus saluæ luculentè docemur futuram esse remunerationē eorum quæ Dei nomine vel bona sunt, vel mala feruntur. Non enim est iniustus Deus, inquit Apostolus, vt obliuiscatur laboris vestri. Et infra cap. 10. Qui dederit vni ex minimis meis potum aquæ frigide.

Adami Conzen in Euang. Tom. I.

da, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Quis enim dicit eum, regem esse iustum, & suorum amantem; qui nullam habeat eorum rationem, à quibus colitur & amatur, & quos habet, etiam si non perfectè per omnia, tamen aliquouſque mandatis suis obtemperantes, & à se sincera fiducia pendent.

Accipienda ista sunt, & merita mercedibus componenda. Nam & in Græco est, μὲν, & in Syro dagrechun, quod proprie significat mercedem. Multo clarius Chytræus. [Vocatur itaque vita æterna merces, quia donatur à Christo & propter Christum gratis. Rom. 6. & quia compenſat bona opera, & quia est res debita pijs propter promissionem, non propter nostra merita, sicut & Thomas ait, Quest. 3. in 23. distinct. libri 2. Sentent. Deum ex promisso debitorem nobis fieri, quod ipse bene agentibus præmium promittit, vt mereri dicamur, quoniam promittit. Et Augustinus in Euchiridio: Vita æterna merces est bonorum operum. Nunquid autem merces propter opera datur? Minime gentium, Datur quidem operibus, verum propter Christum, qui viuens & habitans in nobis, operatur ea &c.]

Quæ idcirco notanda sunt, quia alij nos calumniari nondum desierunt, quasi meritum ex sola operum dignitate absque promissione statuamus. Cum nos meritum in bono opere collocemus ex gratia facti, cuius initium, progressus, adiutorium in mera gratia fundatur, cui non modo celum, sed ne minima terræ quidem portio debeatur, si promissionem Dei gratuitam auferas. Postquam autem tali operi mercedem Deus promittit, factus est debitor promittendo, & homo meretur faciendo, non sua dignitate, sed diuina dignatione. Hinc rectè Musculus, Non est, inquit, Deus iniustus vt obliuiscatur operis vestri. Ex iustitia igitur compenſat, futurus iniustus mercedem detinendo, quia pacto non staret.

§. 3. Falso itaque Caluinus hunc in locum scribens, negat mutuam esse relationem inter mercedem & meritum. Nam Dominus clarissime relationem proponit, cum ex operibus illos beatos affirmat. Mihi multo potior est Nysseni expositio, qui mercedem fructui comparat, & tristitia eius causam affirmat ex Heb. 12. Deinde afflictionem vocat florem, quem ait propter fructum esse decerpendum.

At nullum opus Deus inueniet mercede dignum. Esto sane: Idcirco liberrima gratia mercedem promittit, vt quod ex se dignum non erat, de gratia acciperet dignitatem, & iustam mercedem ex pacto.

VERSUS 13.

Vos estis sal terræ. Quod si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra; nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

QVÆSTIO I.

Quid sal, & quæ eius infatuatio?

§. 1. **S**alis natura est calidi, & sicci temperatura, siue ille gignatur, vt in lacu Tarentino, monte Oromeno, Carthis Arabiæ oppido; siue arte fiat, aqua salta excoctus. Acer & ficeus à putredine conseruat, & saporem cibis conciliat. [Ergo, inquit Plin.

G 3

1.390